



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis**

**Asseburg, Wilhelm Anton von der  
Paderbornae, 1764**

XXVIII. S. Caroli Magni Conf. dup. maj.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)



IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evangelium, Homo peregrè proficiscens, de communi.*

*Missæ: Statuit. de com. Conf. Pont. Vesp. de seq. com. præc. & S. Agnetis 2dò.*

*Die XXVIII. Januarii.*

S. CAROLI MAGNI CONF.

*Duplex Majus Diœces.*

*Omnia de communi Conf. non Pont. præter Sequentia.*

*Oratio.*

Deus, qui Beatum Carolum Confessorem tuum de terreno regno ad cœlestis regni gloriam transtulisti: ejus quæsumus meritis & intercessione Regis Regum JESU CHRISTI Filii tui facias nos esse consortes. Per eundem Dominum.

*Lectioes 1. Nocturni: Beatus vir. de com. Conf.*

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

Carolus Rex, ex illustri Franco-  
rum



rum sanguine patre Pipino natus, ob rerum gestarum magnitudinem dictus magnus, ob zelum religionis, quam in Septentrione potissimum propagavit, in Concilio Moguntino appellatus est Christianissimus: primus fuit, qui à Leone Papa tertio Imperator coronatus, Imperium occidentis restituit, præter liberalium artium scientiam sacras quoque litteras sic perspectas habuit, ut ipse discipulus Magistrum suum Alcarium eruditet, & quæstiones ab eodem sibi positas expediret. Petit ab Adriano Papa & impetratis cantoribus, cantum Gregorianum in Franciâ, Germaniâque instituentum, hymnosque Ecclesiasticos magnâ ex parte conscribendos curavit. Bonis artibus provehendis, geminas academias Ticinensem & Parisiensem instituit.

R. Ho-





R. Honestum fecit illum &c.

*Lectio V.*

**I**n bello porrò singularem fortitudinem & felicitatem à Deo consecutus fuit. Italiam à Longobardorum oppressione liberavit. Saxonicum bellum ad triginta tres annos indefessus sustinuit, Hungaricum ad octennium: plura alia felici omnia eventu gessit, quòd Carolus Ecclesiæ propugnator à superno coeli Imperatore defenderetur, & apertis sæpè signis juvaretur. Nam & Saxones ab oppugnatione castri Sigisburgi, Carolo absente, divinitus territi fugère, & primo Saxonico tumultu in maximâ aquationis inopiâ derepentè largissimæ undæ exilierunt. Quibus totus exercitus jam triduo siti anhelans recreatus est. Conciliabat inter cætera Carolo vel hostium animos, mira ejus in victos clementia. Constat enim Saxoni-  
bus,





bus, toties rebellantibus, toties per-  
duellibus, victis tandem, non ali-  
am ab eo legem datam, quam ut  
abjectis idolis Christum colerent.  
Accedebat ad hæc liberalitas in egen-  
tes & peregrinos, quibus non tan-  
tùm regia ipsius, sed regnum penè  
totum abundabat. Quin & ubique  
terrarum Christianos pauperes mis-  
sis eleemosynis adjuvabat. Cœno-  
bia quatuor & viginti erexit & do-  
tavit, atque litteram auream ducen-  
torum pondo cuique misit. Binas  
Metropolitanas, novem Episcopa-  
les sedes posuit, inter quas & Hil-  
desheimensem in Aulicâ inchoavit.  
Vestis quotidiana parùm à commu-  
ni & plebeiâ differebat, nec nisi sum-  
mis Christi ac Divorum solemnitati-  
bus auro gemmisque ornatus appa-  
rebat. Vestem quoque cilicinam per  
majorem vitæ partem gestavit.

R. Ama-



Rz. Amavit eum Dominus &c.

*Letitio VI.*

Voti causâ Romam quater adiit, ob quod mortuo aurea pera ex humeris suspensa fuit. Officium divinum assiduè obivit, canentibusque modestè accinebat. Hanc ejus pietatem Widekindus Saxonum Princeps coram inspecturus, hebdomadâ sanctâ mendici habitu Caroli castra adiit, ubi Paschæ die viso stupendo in Sanctâ Eucharistiâ miraculo ad Christi fidem animum adjecit, Mindæque novo Pontifici futuro sacram in Saxoniam sedem obtulit. Habitum porrò sacrum in Ecclesiæ ministris Carolus sic amavit, ut ne januæ quidem tutelam gerentes prophanâ permiserit veste munus suum obire. Temperantiæ peramans, lautas coenas rarò instruebat: Ter bibere super mensam, rarò sæpiùs consuevit. Legibus etiam vetuit,

ne



ne quis alterum ad pocula, & ebrietatem invitaret. Triennio ante mortem, opum suarum duas tertias Ecclesiis in Imperio suo, Metropolitanis, aliisque assignavit. Diem denique extremum, multis prodigiis præsignatum obiit vigesimo octavo Januarii annos natus duos & septuaginta, anno post Christum natum octingentesimo decimo quarto, atque in Basilicâ Dei Genitricis Virginis Mariæ à se quàm magnificentissimè extructâ Aquisgrani conditus fuit. *R.* Iste homo &c.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evangelium: Sint lum-  
bi vestri præcincti. de communi.*

*9na Lect. & com. S. Agnetis 2dò in  
Laud. & Missa: Os Justi. de com. Conf.*

*Die XIV. Februarii.*

**S. VALENTINI MARTYRIS,**

*Duplex Dioces.*

*Omnia de communi unius martyris  
præter sequentia. Ora-*